4

ILLUSTRI RUTHENEO

GERANO

SECULORUM DUORUM ET DIMIDII

FELICITER PERACTORUM

MEMORIAM

DIE XII. MENS. JULII ANNI MDCCCLVIII

PIE CELEBRANDAM

GRATULATUR

CAROLUS HENRICUS ADELBERTUS LIPSIUS

PHIL. DOCT. OLIM RUTHENEI COLLEGA, NUNC SCHOLAE THOMANAE LIPSIENSIS CONRECTOR.

INEST DE THEMISTOCLIS PLUTARCHEI LOCIS QUIBUSDAM COMMENTATIO.

LIPSIAE

PROSTAT APUD A. EDELMANNUM

BIBLIOPOLAM UNIVERSITATIS.

ILLUSTRIS RUTHENEI
DIRECTORI, PROFESSORIBUS ET MAGISTRIS
S. D.

CAROL. HENRIC. ADELB. LIPSIUS.

Quamquam iam sex et viginti anni praeterierunt ab eo tempore, quo Lipsiam unde veneram revocatus ex amplissimo collegio Vestro et urbe Vestra dilectissima discessi, tamen viget adhuc semperque vigebit in animo meo gratissima Vestri amicitiaeque Vestrae memoria. Nam quum quinque fere annis ante summorum virorum, quibus tum Ruthenei cura commissa erat, iussu et auctoritate in honestissimi muneris Vestri societatem adductus essem, Vos me, hominem peregrinum et admodum adolescentem, tanta humanitate et benevolentia excepistis, et dum apud Vos fui, tam arctis tamque iucundis officii et amoris vinculis obstrictum tenuistis, ut non potuerim nisi aegerrime a Vobis discedere atque etiamnunc quos Vobiscum transegi annos in iucundissimis quos unquam vixerim referre soleam. Quod quidem beneficium quum Vobis omnibus, quotquot una mecum docendi munere fungebamini, communiter acceptum referam, tamen facere non possum, quin unum e Vobis, quin Te, mi Herzogi, qui tunc proximum ante me locum tenebas, nunc autem summa cum virtutis doctrinaeque laude scholae praees, honoris et amoris causa etiam seorsum appellem. Nam quantum sit, quod Tibi debeam, qui me praeter ceteros amore Tuo amplexus sis, consiliis Tuis instruxeris, ingenii Tui doctrinaeque copiis adiuveris, prudentiae, eloquentiae, elegantiae Tuae admiratione affeceris, denique exemplo Tuo ad omnium laudum Tuarum aemulationem accenderis, id me nunquam satis digna laude praedicare posse profiteor. Neque Tu post discessum meum veterem amicitiam deposuisti, sed usque ad hunc diem ita aluisti et sustentasti, ut quotiescunque Lipsiam venisses, me quoque adires iucundissimisque sermonibus Tuis et superiorum temporum memoriam mécum

recoleres et eam quae nunc esset rerum Vestrarum conditio interroganti mihi narrares. Atque sic amicitia Tua effectum est, ut, quamvis per longum annorum decursum multa eorum quae olim fuerunt mutata, multosque eorum virorum qui tum vel curatorum scholae vel magistrorum munere fungebantur, in his summe venerabilem Behrium, supremum tunc rerum sacrarum moderatorem et humanissimum Reinium, meritissimum ante Te scholae directorem, interim et officio et vita defunctos esse doleam, tamen apud animum meum superiorum illorum et eorum quae nunc sunt temporum nunquam prorsus intermissa sit continuitas. His igitur tantis beneficiis vel Vobis omnibus, Collegae olim mihi coniunctissimi, vel uni Vestrum devinctus, quum dudum optavissem gratissimi animi sensus Vobis etiam publice testificari, peropportune nuper accidit, ut de sacris scholae Vestrae secularibus propediem celebrandis ad me perferretur nuncius. Quae quidem solemnia quum ad me quoque quodammodo pertinere putarem, facere profecto non potui, quin felicissimum diem et Vobis et scholae Vestrae gratularer atque optima et faustissima quaeque ex animo Vobis precarer. Quod tamen nisi ita fecissem, ut bonis votis etiam munusculum quoddam adderem, quod tamquam publicum pietatis amorisque mei documentum exstaret, non facturus esse mihi videbar, quo vel huius diei dignitati vel animi mei desiderio satisfacerem. Quamobrem quum diu anceps haesissem, quid potissimum eligerem, quod usu inter doctos homines recepto muneris loco ad Vos mitterem, tandem recordatus, muneris mei rationem et olim apud Vos ita tulisse et nunc quoque in schola Thomana ita ferre, ut praeter alios scriptores graecos et latinos etiam Plutarchi vitas adolescentibus exponerem, in hanc cogitationem incidi, ut quae de his vitis maximeque de vita Themistoclis, quam in deliciis habeo, in privatos usus meos conscripsissem, ex iis potiora quaedam delibarem Vobisque doni loco offerrem. Hoc igitur quamvis tenue munusculum ut pro amicitia Vestra benevolo animo accipiatis atque etiam in posterum favere mihi pergatis, hoc illud est, quod ea qua decet observantia etiam atque etiam Vos rogatos volo.

Scribebam Lipsiae mense Junio a. MDCCCLVIII.

Quum nuper in scholis publicis Plutarchi Themistoclem tractarem, etiam post repetitas Caroli Sintenisii et nuperrimas Immanuelis Bekkeri curas nonnullos locos relictos esse intellexi, quibus vel de lectionis veritate vel de sententia verborum non iniuria videretur dubitari posse. Et primum quidem ut de re critica dicam, C. Sintenisium, clarissimum Plutarchi emendatorem ac paene sospitatorem, ex quo quum aliorum quorumdam codicum, tum Parisinorum omnium, in his libri optimi n. 1676 (Fa) scripturas cognovisset, ad huius maxime libri fidem, uti in ceteris vitis, ita inprimis etiam in vita Themistoclis plurima emendavisse constat, de qua re ipse dixit in praefatione ad Vitt. ed. mai. Vol. IV. Hinc igitur factum est, ut vita Themistoclis (nam de hac sola nunc dicere constitui) in recentioribus Sintenisii editionibus, h.e. in utraque ed. Weidmanniana (a. 1851 et 1856) et in ed. Teubneriana (a. 1852) longe aliam faciem referret, atque olim retulisset in Themistoclis editione minori (a. 1829) et maiori (a. 1832) atque in Vitt. ed. mai. (a. 1839), cuius volumina tria priora quum maximam partem iam ante reperta nova subsidia critica prodiissent, lectiones inde sumptae non potuerunt nisi in Addendis et Corrigendis Vol. IV proponi. Sintenisii autem novissimam recensionem plerisque locis sequutus est etiam J. Bekkerus, vir magnus, sed in Plutarcho

edendo novo apparatu critico destitutus, in ea editione, quae prodiit a. 1855 cum A. Westermanni, viri clarissimi, de Plutarchi vita et scriptis commentatione. Iam vero si de codicis Parisini Fa fide et auctoritate quaeramus, ipse Sintenisius intellexit, neque in omnibus vitis eandem, neque in iis, in quibus optimas lectiones exhibeat (inter quas est etiam vita Themistoclis), tantam esse libri praestantiam, ut pro fundamento universae lectionis haberi possit. Nam quamvis multas lectiones ex hoc uno libro receperit, tamen multo etiam plures repudiavit, id quod luculentissime apparet e conspectu variantis lectionis in Addendis Vol. IV. ed. mai. Vitt. proposito. Atque in his ipsis lectionibus, quas ille aut recépit aut repudiavit, iudicandis subinde mihi accidisse fateor, ut cum viro doctissimo dissentirem, sive quod probarem quas ille reiecit, sive quod improbarem quas recepit. Et posterioris quidem generis quum in una vita Themistoclis paullo plures sint quam prioris, nescio equidem an de libri quantumvis boni praestantia paullo etiam circumspectius, quam hactenus factum sit, iudicandum esse videatur. Deinde vero quod ad interpretationem verborum attinet, in hoc quoque artis genere Sintenisius, quum in edenda vita Themistoclis bis etiam interpretis partes suscepisset (in mai. ed. Themistoclis et in ed. Weidm.), susceptam provinciam ita administravit, ut et copiosae et succinctae interpretationis tamquam exemplar quoddam proposuisse existimandus sit. Sed idem tamen largissimae quam ipse fecit messis certe tenue quoddam spicilegium etiam aliis faciendum reliquit. Quamobrem si qui loci fuerunt, quos vel ab illo vel a ceteris interpretibus, quos quidem inspicere licuit, aut silentio praetermissos viderem, aut minus recte explicatos putarem, de iis quid mihi videretur, paucis exponere doctorumque virorum iudicio subiicere placuit.

Cap. II. §. 2. *ἐπεὶ καὶ τῶν παιδεύσεων τὰς μὲν ἠθοποιοὺς ἢ πρὸς ἡδονὴν καὶ χάριν ἐλευθέριον σπουδαζομένας ὀκνηρῶς καὶ ἀπροθύμως ἐξεμάνθανε, τῶν δὲ εἰς σύνεσιν ἢ πρᾶξιν λεγομένων δῆλος ἦν οὐχ ὑπερορῶν παρ' ἡλικίαν, ὡς τῇ φύσει πιστεύων.* In his voculam *οὐχ*, quae est ante *ὑπερορῶν* Sintenisius in prioribus edd. omnibus a se servatam postquam non solum a codd. A et B a b c, sed etiam ab optimo libro Fa abesse cognovit, primum in ed. Weidm. priori omisit, tum in ed. Teubn. restitutam in altera ed. Weidm. rursus delevit. Ego vero eam vel invitis libris, quos

dixi, omnibus servandam censeo, sicuti etiam a Bekkero servatam video. Nam primum quidem quod Sintenisius vulgatam scripturam abhorrere ait ab ea Themistoclis imagine, qualis a Thucydide (I. 138) repraesentetur, verum quidem est, Themistoclem auctore Thucydide ipso ingenio ita valuisse, ut nulla doctrina neque antequam rempublicam capesseret, neque postea accesserit, e Plutarchi autem sententia, quam quidem vulgata lectio exhibet, liberalibus artibus parum, civilibus autem aliquantum operae dedisse, verumtamen nec Thucydidis verba tam stricte interpretari licet, ut Themistocles nihil omnino didicisse dicatur, neque Plutarchi narratio e Thucydidis auctoritate ita pependit, ut numquam ab illo discesserit. Deinde vero quod iam Reiskius monuit, locutionem negativam *οὐχ ὑπερορῶν* non satis apte cum verbis *παρ' ἡλικίαν* coniungi, id quamvis minus commode fieri concedam, tamen cum Coraë, cuius notam Sintenisius in mai. ed. Them. adscripsit, sic defendere licet, ut *οὐχ ὑπερορῶν* idem esse dicas quod *ἐπιμελούμενος*. Contra si omiseris voculam negativam, primum quidem multo etiam magis displicebit additum *παρ' ἡλικίαν*, siquidem negligere artes ad agendi facultatem spectantes iuvenilis aetatis ingenio congruit potius quam repugnat. Quominus autem verba *παρ' ἡλικίαν* cum sequentibus *ὡς τῇ φύσει πιστεύων* coniungas, quod Sintenisius voluisse videri potest quum scriberet: „*Lehren der Staatsklugheit schenkte er in einem bei seiner Jugend ungewöhnlichen Vertrauen auf sein blosses Talent keine Beachtung*“. vel particula *ὡς* impedit, eademque sequentia illa propterea adiecta esse docet, ut ratio reddatur, cur Themistocles plus operae, quam vulgo ab adolescentibus fieri soleat, in civiles artes impenderit. Deinde vero quod in verbis superioribus *ὀκνηρῶς καὶ ἀπροθύμως ἐξεμάνθανε* Sintenisius inesse vult: aegre quidem et invitus, at discebat tamen. id etiam graece explicatius dicendum fuit *ὀκνηρῶς μὲν καὶ ἀπροθύμως, ὅμως δ' ἐξεμάνθανε*, cf. Klotz. ad Devar. part. gr. II. p. 679. Denique etiam sequentia verba vulgarem potius, quam nuper receptam lectionem confirmant, quandoquidem in his quoque inest hoc, ut Themistocles plus operae in civiles quam in liberales artes impendisse dicatur. Quam quidem sententiam inesse in iis, quae proxime sequuntur, nemo facile negaverit; sed eadem inest etiam in iis, quae infra de praeceptoribus Themistoclis traduntur. Nam Stesimbroti quidem sententiam, qua ille Anaxa-

gorae et Melissi physici disciplina usus esse narratur, Plutarchus non hoc uno nomine improbat, quod illa temporum rationi repugnet, sed etiam propterea, quod per se parum credibile sit, Themistoclem disciplina eorum usum esse, qui traderent artes ad agendi dexteritatem parum spectantes. Hoc enim ita esse vel particula *καίτοι* in principio eorum verborum, quibus Stesimbroti sententia refertur, collocata testatur. Contra eorum sententia, qui Themistoclem Mnesiphili sectatorem fuisse tradiderant, Plutarcho ob id ipsum probatur, quod illum prudentiam civilem h. e. eam scientiam, cui plurimum operae daret Themistocles, tradidisse discipulis novisset.

Cap. V. §. 4. ***Πάλιν δέ ποτε τὸν Σιμωνίδην ἐπισκώπτων ἔλεγε νοῦν οὐκ ἔχειν, Κορινθίους μὲν λοιδοροῦντα μεγάλην οἰκοῦντας πόλιν, αὐτοῦ δὲ ποιούμενον εἰκόνας οὕτως ὄντος αἰσχροῦ τὴν ὄψιν.*** Tacent de h. l. interpretes, quamvis sententia verborum propterea sit paullo difficilior intellectu, quod Plutarchus quid potissimum sit, quod Simonides in Corinthiis reprehenderit, non significavit. Etenim quemadmodum inter se opponuntur verba ***μεγάλην οἰκοῦντας πόλιν*** et ***οὕτως ὄντος αἰσχροῦ τὴν ὄψιν***, ita etiam verbis ***αὐτοῦ ποιούμενον εἰκόνας*** aliquid opponi debuisse putaveris, quod ad Corinthios referretur. Quumque Simonides hoc ipso, quod imaginem suam sculpi curaret, vanitatem quandam suique iactantiam prodiderit, credas eum idem vitium, cui ipse indulgeret, reprehendisse in Corinthiis. Attamen quum Plutarchus nihil tale addiderit, verbis ***αὐτοῦ εἰκόνας ποιούμενον*** nihil aliud nisi ipsum verbum ***λοιδορεῖν*** opposuisse videtur, ut propterea insipere dicatur Simonides, quod Corinthiis quidem praecidat gloriam propter urbis amplitudinem debitam, sibi vero imagine sua exsculpenda arroget laudem, qua propter faciei deformitatem parum dignus videatur. Atque ludibrio aliquando Corinthios a Simonide habitos aut certe haberi sibi visos esse, testantur etiam verba Aristotelis Rhetor. 1, 6: ***λελοιδορῆσθαι ὑπέλαβον Κορίνθιοι ὑπὸ Σιμωνίδου ποιήσαντος· Κορινθίοις δ' οὐ μέμφεται τὸ Ἴλιον***, quae verba referuntur ad fragmentum quoddam Simonidis, quo Ilium Corinthiis non irasci dixerat propterea quod illi in bello Troiano non solum Danais, verum etiam Troianis (per Glaucum Corintho oriundum) opem tulissent. Cf. Bergk. poët. lyr. p. 888. Quamquam quod in his verbis inesse putabatur

convicium, illud ipsum esse, quod Themistocles nostro loco respexerit, nemo facile pro certo affirmare ausit.

Cap. IX. §. 3. *ὃ δ' ἦν μόνον ἀναγκαῖον ἐν τῷ παρόντι τὴν πόλιν ἀφέντας ἐμφῦναι ταῖς ναυσίν· ὅπερ οἱ πολλοὶ χαλεπῶς ἤκουον.* Voculam *ὅπερ* iam a Reiskio damnatam Schäferus T. IV. p. 333, praeeuntibus Coraë in adn. ad h. l. et Gottholdo in Actis sem. Lips. II. p. 424, ita defendit, ut Infinitivum *ἐμφῦναι* (*ἐμβῆναι*) referret ad antegressum *διενοοῦντο* ideoque *ἀφέντας* corrigeret in *ἀφέντες*. Quod tamen quum ipsi verborum sententiae repugnare intellexisset Sintenisius (in mai. ed. Them.), ipse in edd. omnibus (praeter minorem Them. et maiorem Vitt.) eumque sequutus Bekkerus voculam relativam aut deleverunt aut uncis incluserunt. Equidem si sana sit vulgata scriptura, non aliam video eius tuendae viam, nisi hanc, in quam neminem interpretum incidisse miror, ut verba *ὃ δ' ἦν μόνον ἀναγκαῖον* ad exemplum dictionis *ὃ δὲ πάντων δεινότατον* similiumque, h. e. ex eo usu posita putemus, quem Grammatici additis verbis *τοῦτ' ἔστι* illustrare solent. Quas quidem dictiones quamvis plerumque ita poni constet, ut subiiciantur particulae *ὅτι* vel *γάρ*, tamen posse etiam aliter poni, veluti sequentibus voculis *εἰ* vel *ὅταν*, docent Matth. gr. ampl. II. p. 973. Bernhard. Synt. gr. p. 298. Krüg. gramm. gr. §. 51, 13, 10. Et Infinitivi quoque Bernhard. duo attulit exempla, alterum e Lys. pro bon. Arist. §. 33 (p. 155 Steph.): *ὃ δὲ πάντων δεινότατον, τὴν ἀδελφὴν ὑποδέξασθαι παιδία ἔχουσαν πολλὰ καὶ τρέφειν αὐτὰ, μηδ' αὐτοὺς ἔχοντας μηδὲν, ἐὰν ὑμεῖς τὰ ὄντ' ἀφέλησθε*, alterum e Lycurg. §. 82 (p. 158 Steph.): *ὃ καὶ πάντων ἂν εἴη δεινότατον τοὺς μὲν προγόνους ὑμῶν ἀποθνήσκειν τολμᾶν ὥστε μὴ τὴν πόλιν ἀδοξεῖν, ὑμᾶς δὲ μὴ κολάζειν τοὺς αἰσχύνοντας αὐτὴν κτλ.* Quorum locorum priorem quod Matthiaeus l. c. ita explicari posse censet, ut Infinitivi *ὑποδέξασθαι — τρέφειν* pariter atque antegressi *μὴ ἔχειν — ὀφείλεσθαι* e verbis *ἐθέλομεν πίστιν δοῦναι* pendere verbaque *πῶς ἂν οὖν — τἀκείνων ἔχειν* per parenthesin aliquam interposita esse existimentur, non reputavit eiusmodi verborum structuram abhorrere a Lysiacae orationis simplicitate. Quumque Infinitivo hoc commune sit cum vocula *ὅτι* ceterisque particulis, ut quod per se stare debebat verbum, ex antegresso enunciato relativo, quasi hoc per se steterit, suspendatur, non video equidem, quomodo in

Infinitivo plus offensionis quam in particulis supra dictis inesse possit. Verumtamen quum apud Plutarchum quidem similia Infinitivi exempla desiderentur, quumque universa nostri loci oratio paullo rectius procedere videatur, si verba *ὃ δ' ἦν μόνον ἀναγκαῖον* cum sequentibus *οἱ πολλοὶ χαλεπῶς ἤκουον* statim in unam sententiam comprehendantur, quandoquidem abiecti et demissi animi Atheniensium haec caussa adfertur, quod e duabus quae solae relictae esse viderentur, salutis viis altera (*μάχεσθαι μυριάσι στρατοῦ τοσαύταις*) non poterant, altera (*τὴν πόλιν ἀφέντας ἐμφῦναι ταῖς ναυσίν*) nolebant uti: non magnopere repugnabo, si quis voculam relativam cum Sintenisio exterminare maluerit.

Cap. X. §. 4. *αὐτῶν δ' ἀκάμπτων πρὸς οἰμωγὰς καὶ δάκρυα γονέων καὶ περιβολὰς διαπερώντων εἰς τὴν νῆσον.* In his Sinten. (ed. Weidm.) ad *γονέων* adnotavit: *„die in der Stadt zurückbleibenden Alten."* Sed senes quosdam in urbe relictos esse sequentibus demum verbis memoratur, nec possunt h. l. senes alii intelligi, quam qui iam supra verbis *οἱ πλεῖστοι τῶν Ἀθηναίων ὑπεξέθεντο γονέας καὶ γυναῖκας εἰς Τροιζῆνα* significati sunt. Ac ne quis ex antegresso Aoristo *ὑπεξέθεντο* colligat, senes mulieresque supra dictos, utpote iam Troezena asportatos, nunc quidem intelligi non posse, tenendum est. Plutarchum rei iam supra memoratae imaginem nunc demo repraesentare et quasi ob oculos ponere, scilicet ut significet, quantam admirationem eximia illa Atheniensium fortitudo excitaverit in spectantium animis. Atque haec ita esse luculentissime apparet e verbis proxime antegressis *γενεὰς μὲν ἄλλῃ προπεμπόντων.* Quum autem mirum sit, h. l. solos parentes omissis mulieribus liberisque commemorari, quumque eiulatus et lacrimae et amplexus mulieribus etiam magis quam parentibus convenire videantur, Cornës ex Amioto coniecerat *καὶ δάκρυα γυναικῶν καὶ τέκνων περιβολάς*, Schäferus autem e Bryani coniectura solum *γονέων* in *γυναικῶν* mutavit. Et in hac quidem coniectura, donec aliquis meliora docuerit, acquiescendum videtur esse. Ceterum recte Sintenisius, quum paullo ante in verbis *γονέας μὲν ἄλλῃ προπεμπόντων* e coniectura sua, quam postea confirmavit codicis Fa auctoritas pro *γονέας* scripsisset *γενεάς*, idem tamen in sequentia verba transferri noluit, haud dubie quod *οἰμωγὰς καὶ δάκρυα γενεῶν* parum commode dici intellexisset.

Cap. XI. §. 4. *ἔννοια καὶ δέος ἔσχε τὸν Εὐρυβιάδην τῶν Ἀθηναίων, μὴ σφᾶς ἀπολιπόντες οἴχωνται.* Sintenisius (ed. Weidm. et Teubn.) probante etiam Bekkero e codice Fa edidit *μὴ σφᾶς ἀπολείποντες οἴχονται.* Sed quomodo Indicativum modum defenderet vir doctissimus vel in ea editione dicere supersedit, quam ad scholarum usum accommodasset. Ego vero non aliter defendi posse putaverim nisi sic, ut *μή* interrogandi particulam esse dicas, quod quamquam potest etiam post verba timendi fieri (Krüg. gramm. gr. §. 54, 8. 12), tamen tum demum fieri videtur, cum quis suspicatur iamiam fieri aut factum esse, quod metuit ne fiat aut factum sit; quae quidem suspicio a nostro loco aliena est.

Cap. XII. §. 1. *τῶν δυνάμεων ὁμοῦ γενομένων.* Sintenisius (ed. Weidm. et Teubn.) et Bekkerus ex eodem codice ediderunt *τῶν δὲ δυνάμεων ὁμοῦ γενομένων*, ut apodosis infra demum ordiatur a verbis *ἔνθα δή*. Quod quamquam posse fieri concedo, tamen obstare videtur usus Plutarchi satis constans, quo voculae *ἔνθα δή* a novae sententiae principio positae reperiuntur. Cf. supra c. 7 et 10, quaeque Wyttenb. Ind. p. 308 ed. Lips. congessit exempla plurima. Nec facile negaveris superioribus illis *προσέθεντο τῇ γνώμῃ καὶ παρεσκευάζοντο ναυμαχήσοντες* rectius opponi quae proxime sequuntur *ἐξερρύησαν οἱ τοῦ Θεμιστοκλέους λόγοι τῶν Ἑλλήνων*, quam quae infra demum subiiciuntur *ὁ Θεμιστοκλῆς—ἐβουλεύετο καὶ συνετίθει τὴν περὶ τὸν Σίκιννον πραγματείαν.*

Cap. XV. §. 2. *πρῶτος μὲν οὖν λαμβάνει ναῦν Λυκομήδης ἀνὴρ Ἀθηναῖος τριηραρχῶν, ἧς τὰ παράσημα περικόψας ἀνέθηκεν Ἀπόλλωνι δαφνηφόρῳ.* Post *δαφνηφόρῳ* Sinten. (ed. Weidm. et Teubn.) et Bekk. ex eodem codice addunt *Φλυῆσιν.* Quam lectionem confirmare videri possit, quod supra c. 1 universa Lycomidarum gens, cui etiam Lycomedes ille trierarchus adscriptus fuisse videtur, Phlyae commune quoddam sacellum habuisse dicitur. Sed illud non Apollinis, sed Cereris fuisse, tum ipso usu vocabuli *τελεστήριον*, quippe quo proprie significetur templum, quo quis mysteriis initiatur vel quo sacra arcana celebrantur (cf. Plut. Pericl. 13 *τὸ ἐν Ἐλευσῖνι τελεστήριον*), tum Pausaniae locis quibusdam comprobari videtur. Is enim primum Lycomidis a Musaeo hymnum in Cererem scriptum esse refert (1, 22, 7. 4, 1, 4), quamquam quod iidem etiam hymnos in Amorem a Pampho et

Orpheo scriptos decantasse dicuntur (9, 27, 2. cl. 9, 30, 6), nescio quomodo ad Cereris cultum pertinuerit; deinde Cauconem Phlyi nepotem et Lycum, a quibus Phlyenses et Lycomidae originem repetiisse videntur, magnarum dearum h. e. Cereris et Proserpinae, cultum ex Attica ad Messenios transtulisse scribit (4, 1, 4); porro Methapum Atheniensem, sacrorum arcanorum institutorem, in sacello (*κλισίῳ*) Lycomidarum statuam cum epigrammate dedicasse tradit, quo se apud Messenios post Cauconem et Lycum Cereris et Proserpinae sacra instaurasse significaverit (4, 1, 5); denique multos e Themistoclis posteris h. e. e Lycomidis, daduchos in Eleusiniis factos esse testatur (1, 37, 1. cl. vita X oratt. p. 353 Reisk.). Cf. Sinten. ed. mai. Them. p. 10 et quos ille citat, Passov. ad Mus. p. 53 et C. O. Mueller. de Minervae Poliadis sacr. p. 11 et 44. quibus adde Lobeck. Aglaoph. p. 982 et 1251. Praeterea quum Themistocles demum Lycomidarum sacellum a Persis combustum restituisse dicatur (c. 1), *τὰ παράσημα* a Lycomede capta certe non ante finitum bellum ibi suspendi potuerunt. Restat igitur ut insignia illa, si Phlyae dedicata fuerunt, certe non in Lycomidarum sacello, sed in Apollinis templo aliquo dedicata fuisse putemus. Ac verum est inter deos quorum sacra ibi fuerint, apud Pausaniam etiam Apollinem commemorari (1, 31, 4), sed ille non *Δαφνηφόρος*, sed *Διονυσόδοτος* appellatus est. Quamobrem vereor equidem, ne nostro loco *Φλυῆσιν* a librario quodam adscriptum sit, qui superioris loci meminisset sacellumque Lycomidarum ibi memoratum Apollinis fuisse putaret.

Cap. XVI. §. 1. *ἐπεχείρει διὰ χωμάτων ἐπάγειν τὸ πεζὸν εἰς Σαλαμῖνα τοῖς Ἕλλησιν ἐμφράξας τὸν διὰ μέσου πόρον.* Iidem quos saepius dixi duumviri ex eodem codice ediderunt *τοῖς Ἕλλησιν εἰς Σαλαμῖνα.* Nec negaverim dativum, si pendeat ex *ἐπάγειν* rectius praemitti verbis locum definientibus, sed dubito de hiatu *Σαλαμῖνα ἐμφράξας*, qui etsi distinctione verborum quodammodo excusatur ac fit inter vocales breves, de quibus quid sibi videretur Sintenisius nondum dixit, tamen non ultro in Plutarchi verba inferendus videtur esse. Imo ob id ipsum ut vitaret hiatum scriptor hac in re diligentissimus postposuisse dativum existimandus est. Praeterea etiam illud dubium videri possit, an dativus potius cum *ἐμφράξας* quam cum *ἐπάγειν* iungendus sit. Neque enim in aggere faciendo Xerxes hoc unum spectavisse videtur, ut copias, quae navibus praesidio essent et quasi pedestri proelio cum

Graecis congrederentur, in Salaminem insulam traduceret, verum etiam, ut Graecis per fretum Salaminium, in quo gravissimam cladem accepisset, intercluderet viam. Sed obstare huic verborum iuncturae videtur, non illud quidem quod dativus participio suo praemittitur, quod ipsum quoque ad hiatum vitandum fieri potuit, sed ipse usus verborum Plutarcheus. Nam ut frequens est *ἐπάγειν τινί τι* de exercitu, qui ducitur contra aliquem (cf. Crass. 17 *ἐπαγαγὼν τὴν δύναμιν αὐτοῖς*), ita rarissimum videtur *ἐμφράσσειν τινί τι* hoc quidem sensu, ut sit viam alicui obsepire s. intercludere. Certe in Plutarchi vitis semper, quod sciam, legitur sic ut simpliciter sit obstruere, non addito aliquo dativo personae. Cf. Fab. Max. 6 Lucull. 9 Nic. 24 Agesil. 39 Cic. 18. Arat. 16.

Cap. XVIII. §. 2. *ἀλλ' ὥσπερ πλατάνῳ χειμαζομένους μὲν ὑποτρέχειν καὶ κινδυνεύοντας, εὐδίας δὲ περὶ αὐτοὺς γενομένης τίλλειν καὶ κολούειν.* Sinten. (ed. Weidm. et Teubn.), quem hic quoque sequitur Bekkerus, e duorum codicum (C Fa) auctoritate ante *κινδυνεύοντας* omisit voculam *καί*, hac notula adscripta: *„wenn sie sich in Gefahr befänden, flüchteten sie sich zu ihm, wie von einem Gewitter befallene unter einen Baum.“* Sed ipsa verborum collocatio et oppositionis ratio flagitat, ut vertamus: *vom Gewitter befallen flüchteten sie (zu ihm) wie unter einen Baum.* Nam quemadmodum in sequentibus *εὐδίας δὲ περὶ αὐτοὺς γενομένης τίλλειν καὶ κολούειν*, quae imaginis propria sunt de tempestate et arbore sumptae, tamen ad ipsos Athenienses referuntur, ita idem etiam de *χειμαζομένους* statuendum. Quod si ita est, aegre carebimus vocula *καί*, qua *κινδυνεύοντας* tamquam interpretamentum quoddam cum *χειμαζομένους* iungatur. Quamquam ut verum fatear, cum *καί* vocula etiam ipsum *κινδυνεύοντας* abesse malim, quod in altera ed. Weidm. etiam apud Sintenisium uncis inclusum video. Cf. locum geminum ex Apophth. p. 185 E a Sinten. (in mai. ed. Thcm.) allatum: *ταῖς πλατάνοις ἀπείκαζεν αὐτόν, αἷς ὑποτρέχουσι χειμαζόμενοι, γενομένης δὲ εὐδίας τίλλουσι παρερχόμενοι καὶ λοιδοροῦσι.*

Ibid. §. 3. *ἔφη τῇ ἑορτῇ τὴν ὑστεραίαν ἐρίσαι λέγουσαν, ὡς ἐκείνη μὲν ἀσχολιῶν τε μεστὴ καὶ κοπώδης ἐστίν, ἐν αὐτῇ δὲ πάντες ἀπολαύουσι τῶν παρεσκευασμένων σχολάζοντες.* Haec qui obiter tantum inspexerit, facile in hanc opinionem adducatur, ut verba *ὡς ἐκείνη — κοπώδης* diei

postero, sequentia ἐν αὐτῇ δὲ — σχολάζοντες diei festo unice convenire existimet, praesertim si cum plerisque interpretibus τὴν ὑστεραίαν de die operoso intellexerit. Nam dies operosus recte dici videtur negotiorum plenus esse et laboriosus, dies festus autem per otium frui opibus diei operosi labore paratis. Quamobrem multi interpretes ἐκείνη ad diem posterum, αὐτῇ autem ad diem festum retulerunt. Ita Bredovius interpretatus est: „*Mit dem Festtag stritt einst der Nachtag, als sei er selbst voll reger Thätigkeit und mühsamer Arbeit, gewähre jener aber nur Jeglichem Genuss des Bereiteten in gemächlicher Ruhe.*“ Et iam ante illum Kaltwasserus testatus est, interpretes aute se praeter Cruserium omnes similiter de his pronominibus statuisse. Sed recte idem vir doctus id fieri posse negavit. Nam ut concedam, ἐκεῖνος interdum ad subiectum orationis referri, tamen ubi opponuntur inter se αὐτός ipse et ἐκεῖνος, dubium non est, quin illud ad eum ipsum, qui loquens inducitur, hoc autem ad alterum, quocum vel de quo quis loquitur, referri debeat. Quod quum intellexisset Anonymus ille, cuius lectiones Sintenisius litera x notavit, pro τῇ ἑορτῇ τὴν ὑστέραν inverso ordine scripsit τῇ ὑστέρᾳ τὴν ἑορτήν, et paullo infra pro τὴν δ' ἑορτὴν correxit τὴν δὲ ὑστέραν. Sed obstat huic correcturae summa constantia, qua libri manu scripti ut h. l. ita etiam duobus locis parallelis, quibus eadem res fere iisdem verbis refertur (Quaest. Rom. p. 270 B et de fort. Rom. p. 320 E), in tuenda scriptura vulgata consentiunt. Ac multo profecto credibilius est, Themistoclem semet ipsum cum die festo, alterum autem imperatorem, qui post se bene rem gesserit, cum die postero, quam contra comparavisse. Quae quum ita sint, recte Kaltwasserus ἐκείνη ad diem festum, αὐτῇ autem ad diem posterum retulisse verumque vulgatae scripturae sensum aperuisse videtur verbis his: „*Die Festspeisen werden an dem Festtage selbst zubereitet, an dem Nachtage aber verzehrt man die übrigen Brocken ohne Mühe und Beschwerlichkeit.*“ Nimirum negotia, quorum plenus esse dicitur dies festus, non quotidiana vel profana sunt, sed illa ipsa, quae in sacris faciendis parandisque epulis versantur, similiterque opes paratae, quibus postero die homines frui dicuntur, illae ipsae sunt, quas dies festus in suos usus paravit. Omninoque ἡ ὑστεραία non dies operosus est, sed quasi alter dies festus, quo superiorum epularum repotia instituuntur. Quam sententiam confirmare quodammodo videtur con-

textus orationis, qui est in libelli de Quaest. Rom. loco supra citato. Quo loco quum quaeratur, quibus caussis evenerit, ut Romani postridie Calendas, Nonas, Idus iter facere alinve negotia suscipere nolint, Plutarchus, inter alia respondet, Romanos quemadmodum primum anni mensem diis superis, secundum autem diis inferis sacraverint, similiter etiam de tribus illis diebus festis tribusque posteris diebus statuisse videri, et Graecos quoque diem interlunii diis, diem posterum heroibus consecravisse. Tum vero commemorato illo, de quo quaerimus Themistoclis dicto, sub finem addit, antiquitus apud Romanos ita institutum fuisse videri, ut dies festos non continua serie exciperent dies operosi, sed intervallo quodam ab iis disiungerentur propter improvisos labores cum negotiis quotidianis fere coniunctos. Accedit quod sic demum recte habere videntur verba ἐν αὐτῇ δὲ — σχολάζοντες. Nam τὰ παρεσκευασμένα haud dubie illa ipsa dicuntur, quae alterius diei labore parata sunt. Iam si αὐτῇ ad diem festum retuleris, verum quidem est, diem festum frui opibus diei operosi labore paratis, sed iure tamen mireris, in hac sententiarum serie pro die operoso dici diem posterum, quandoquidem quas dies demum sequens paravit opes, iis frui nondum potuit antecedens dies festus. Sin autem idem illud αὐτῇ ad diem posterum retuleris, rectissime is frui dicitur epulis superiore die festo paratis. Atque similis est sequentium verborum ratio. Nam quod dies festus diei postero respondisse dicitur ἀλλ' ἐμοῦ μὴ γενομένης, σὺ οὐκ ἂν ἦσθα, id ex vulgari ratione (eam dico, qua αὐτῇ ad diem festum refertur) vix commodum sensum praebet, nisi forte hunc, ut dies sequens non esse vel cogitari posse dicatur, nisi si quis alius dies praecesserit. Anonymi autem quem supra dixi ratio, qua responsio haec non diei festo, sed postero diei tribuitur, quamquam sententiam per se probabilem suppeditat hanc, ut sine die operoso, qui paret opes, neque dies festus, qui fruatur illis, esse posse dicatur, tamen eodem quod paullo ante dixi, laborat incommodo, quod in tali sententiarum nexu ad significandum diem operosum pro die, qui post festum est, potius diem profestum dici oportebat. Contra si nostram rationem probaveris, iam sponte apparebit, quam recte dies festus responderit diei postero, sine ipso ne illum quidem cogitari posse. — Ceterum Schäferus quum pro αὐτῇ ederet αὕτη, quod non potest nisi ad subiectum orationis referri, tacite significavit, sibi quoque haec verba ad diem posterum referenda videri. Sintenisius

autem quod in editionibus (praeter minorem a. 1829) omnibus restituit *αὐτῇ* non ideo fecisse videtur, quod *αὐτῇ* ad diem festum referret, sed quod ne hoc quidem alio nisi ad subiectum orationis referri posse censeret. Quod autem idem Sinten. pro vulgato *τὴν ὑστέραν* et h. l. et de fort. Rom. p. 320 E ex tertio loco Quaest. Rom. p. 270 B correxit *τὴν ὑστεραίαν*, id cum Bekkero ipse quoque probo propterea quod Plutarchum alibi nusquam diem posterum *τὴν ὑστέραν* dixisse reperio. Quamquam dixit *τῇ προτέρᾳ ἡμέρᾳ* Apophth. Lac. p. 236 B, si sana est lectio.

Cap. XXII. §. 1. *οὗ νῦν τὰ σώματα τῶν θανατουμένων οἱ δήμιοι προβάλλουσι καὶ τὰ ἱμάτια καὶ τοὺς βρόχους τῶν ἀπαγχομένων καὶ καθαιρεθέντων ἐκφέρουσιν.* In his primum quidem verbum *ἀπαγχομένων* Sinten. quum olim (ed. mai. Them.) dubitasset, sitne sensu medio de iis, qui suspendio suam ipsi vitam finiverint, an passivo de iis quos carnifex laqueo suspenderit, intelligendum, postea (ed. Weidm. 1.) sensu medio intellexit, sed ita, ut ne nunc quidem (ed. Weidm. 2.) omnem dubitationem abiecerit. Ac potest sane, si ab addito *καθαιρεθέντων* discesseris, res perquam dubia videri. Nam ipsum verbum *ἀπάγχειν* etsi apud Plutarchum plerumque genere medio legitur (Cat. 10 Thes. 20 Mar. 70), tamen étiam active positum reperitur Mar. 27, ut *ἀποπνίγειν* Agid. 19. Deinde quamquam media significatio eo commendari videtur, quod facillimam reddit verbi medii (*ἀπαγχομένων*) a verbo passivo (*θανατουμένων*) distinctionem, tamen non minus recte Plutarchus facere potuit, ut quum in universum supplicio adfectos (*θανατουμ.*), quorum quidem corpora proiicerentur, commemorasset, iam ex eo numero eximeret ac seorsum poneret strangulatos, quippe quorum non corpora, sed vestimenta funesque abiici solerent. Quod autem Sinten. verbi passive dicti mire positum videri ait tempus praesens, mihi quidem non magis mirum videtur, quam idem tempus verbi *θανατουμένων*, quod ipsum quoque, non ad similitudinem verbi *θνήσκειν* pro *τεθνηκέναι* positi (Sinten. ed. mai. Them.), sed ad significandum id, quod etiamnunc fieri soleat (cf. verba *οὗ νῦν — οἱ δήμιοι προβάλλουσι*) positum esse dixerim. Denique si de re ipsa quaerimus, fatendum est neutram rationem aliorum scriptorum testimoniis ita confirmari, ut nulla dubitatio supersit. Nam ut primum dicam de morte voluntaria, apud Athenienses Aeschinis quidem oratoris tempore aliam poenam in eam constitutam

fuisse, Sinten. ipse docet ex orat. c. Ctesiph. c. 83 p. 636 ed. Reisk.: *ἐάν τις αὐτὸν διαχρήσηται, τὴν χεῖρα τὴν τοῦτο πράξασαν χωρὶς τοῦ σώματος θάπτομεν.* Cf. Joseph. B. J. III. 8, 5. Quod autem in quibusdam Graecorum civitatibus usu receptum fuisse dicitur, ut qui mortem sibi conseiscere vellent, caussas eius rei senatui probarent, veniaque non impetrata si nihilo minus in consilio perstitissent, insepulti abiicerentur (Valer. Max. II. 6, 7. 8. Quinct. declam. 4. 335. 337. Calpurn. Flacc. declam. 20. 51. cf. Rein. *Criminalrecht der Röm.* p. 886), id neque ad Athenienses pertinuisse videtur (C. F. Herm. *Privatalterth. d. Griech.* §. 61 adn. 26), nec satis convenit cum verbis Plutarchi, non corpora, sed vestimenta funesque proiecta esse referentis. Nec magis cum Plutarcho convenit mos Romanorum (nam de his quoque Plutarchi tempore non minus quam de Graecis quaerendum videtur), apud quos quamquam mors voluntaria in universum in crimine non ponebatur, tamen qui laqueo se suspendissent, sepulturae honore caruisse dicuntur (Serv. ad Virg. XII, 603. Orelli Inscr. n. 4404. cf. Rein. l. c. p. 883 sqq.). De suppliciis autem si quaerimus, certum quidem est inter varia eorum genera apud Graecos pariter atque apud Romanos etiam illud receptum fuisse, quo capitis damnati in carcere strangularentur. Et de Graecis quidem illustre exemplum exstat apud Plutarchum ipsum Agid. 19; de Atheniensibus autem quamvis praeter illum, de quo quaerimus, vitae Themistoclis locum aliud certum exemplum desideretur, tamen hos maxime respicere videntur verba Pollucis VIII, 71: *ὁ δὲ παραλαμβάνων τοὺς ἀναιρουμένους καλεῖται δήμιος, δημόκοινος, ὁ πρὸς τῷ ὀρύγματι· καὶ τὰ ἐργαλεῖα αὐτοῦ ξίφος, βρόχος, τύμπανον, φάρμακον, κώνειον.* Cf. Zenob. VI, 11. Suid. in v. *τὰ τρία τῶν εἰς θάνατον.* Herm. l. c. §. 72 adn. 18 et 24. Sed de corporibus tamen strangulatorum nihil memoriae proditum videtur. De Romanis autem quamvis praeter Catilinae coniuratos (Sallust. Catil. 55) etiam alia plurima exempla quum superioris tum posterioris temporis usque ad Tiberii Imperatoris aetatem memorentur (Valer. Max. VI. 3, 3. 9, 13. Suet. Tib. 61. 75. Tac. Ann. V, 9. VI, 25. 39), tamen his locis fere omnibus etiam illud additur, corpora eorum, qui Romae in carcere strangulati essent, unco in Gemonias tracta et proiecta esse; totumque hoc supplicii genus sub posterioribus Imperatoribus abrogatum esse e Digest. l. 8 §. 1 (XLVIII, 19) docent Rein. l. c. p. 913. Walther. *Gesch.*

d. Röm. Rechts II p. 448. Quibus accedit etiam quod nostro quidem loco de eiusmodi supplicio cogitandum videtur, quo capitis damnati non in carcere, sed publice afficerentur.

Nimirum ut recte de verbis *τῶν ἀπαγχομένων* iudicari possit, simul etiam de sequenti *καθαιρεθέντων* quaestio instituenda est. De quo quod adnotavit Sinten. *„wohl allgemein derer, die eines gewaltsamen Todes gestorben, nicht mit βρόχους, sondern mit ἱμάτια zu verbinden,“* id vereor ne probari non possit. Nam quos dicit homines per vim mortuos, non alios significare videtur nisi eos, qui aut supplicio affecti sint, aut manum sibi ipsi intulerint, quandoquidem eorum, qui vel hostium manu vel per sicarios vel casu adverso periissent, nec corpora proiecta nec vestimenta seposita esse credibile est. Atqui de iis, qui mortem sibi ipsi consciverint, cogitari vetat ipsum genus verbi passivum. De iis autem qui supplicio affecti sint, quominus dici putemus, ipsa sententia verborum impedire videtur. Nam si antegressum *ἀπαγχομένων* sensu medio intellexeris, fieri profecto non potest, ut primo loco supplicio affecti, altero sua manu interempti, tertio rursus supplicio affecti commemorentur. Sin illud passivo sensu acceperis, quo tandem modo *καθαιρεθέντων* a superioribus *θανατουμένων* et *ἀπαγχομένων* distingui putabis? Denique quominus utrosque simul intelligas, ut quasi in unum comprehendantur quicunque aut sua aut carnificis manu perierint, maxime hoc obstat, quod eos omnes uni legi subiectos fuisse parum credibile est. Accedit quod, si *καθαιρεθέντων* eiusdem generis sit cum superioribus verbis et pariter atque illa ad aliquod mortis genus referatur, iure mireris temporum diversitatem. Nam quum Plutarchus bis posuisset Participium Praesentis ex eo quem supra dixi usu, quidni etiam tertio loco scripserit *καθαιρουμένων*? Nec denique infitior, mihi quidem si non necessarium, certe multo simplicius videri, utrumque verbum (*τῶν ἀπαγχομένων* et *καθαιρεθέντων*) cum utroque nomine antegresso (*τὰ ἱμάτια* et *τοὺς βρόχους*) coniungi. Quae quum ita sint, malim equidem verbum *καθαιρεῖν* cum Wyttenbachio (Ind. Plut. p. 435 ed. Lips.) interpretari suspensos a patibulo demere; quo sensu non solum apud Plutarchum ipsum legitur Agid. 20: *τὴν μητέρα νεκρὰν — ἐκ τοῦ βρόχου κρεμαμένην-αὐτὴ τοῖς ὑπηρέταις συγκαθεῖλε*, verum etiam Evang. Luc. 23, 53. Joseph. B. J. IV. 5, 2. Phil. in Flacc. p. 977 A, quibus locis omnibus

significantur corpora de cruce dempta. Hoc autem si probaveris, iam sponte sequitur, nostro loco neque de iis, qui sua se manu strangulaverint, neque de iis, qui in carcere laqueo suffocati fuerint, cogitari posse, quippe quos semper demptos esse consentaneum sit, sed de iis, qui publice fuerint e patibulo suspensi. Namque hos pariter atque homines cruci fixos pro delictorum gravitate veniaque sepulturae vel data vel recusata, modo de patibulo vel de cruce demptos modo non demptos esse, quum aliis constat veterum scriptorum testimoniis (Plaut. mil. glor. II. 4, 19. scio crucem futuram mihi sepulcrum), tum maxime exemplo Jesu Christi, cuius corpus petentibus amicis Pilatus procurator demendum sepeliendumque concessit, et notissimo loco Ulpiani l. 1. D. de cadav. punit. (XLVIII, 24): corpora eorum, qui capite damnantur, cognatis ipsorum neganda non sunt; et id se observasse etiam divus Augustus libro decimo de vita sua scripsit. Hodie autem eorum, in quos animadvertitur corpora non aliter sepeliuntur, quam si fuerit petitum et permissum; et nonnunquam non permittitur, maxime maiestatis causa damnatis. Itaque Plutarchus hoc dicere videtur, eorum qui e patibulo s. furca suspensi essent, corpora quidem (inopetrata eius rei venia) dempta et sepulta, sed vestimenta tamen funesque ignominiae causa proiecta esse; ac videtur illud *καθαιρεθέντων* eo studiosius addidisse, quoniam, nisi demptis corporibus, ne funes quidem, quibus illa suspensa fuissent, proiici potuerunt. Quod autem Rein. l. c. p. 913 et Walther. l. c. II. p. 449 furcam recentiori sensu h. e. pro patibulo dictam in locum crucis a Constantino Magno abrogatae substitutam esse dicunt, id non ita accipiendum esse, quasi antea furcae nullus omnino usus fuerit, docent illi ipsi, quibus Waltherus utitur, aliique multi Digestorum loci, utpote ex Ulpiano aliisque scriptoribus Constantino antiquioribus expressi. Vid. l. 6. ad legem Juliam pecul. (XLVIII, 13); l. 9 §. 11. l. 28 pr. §. 15. l. 38 §. 1. 2. de poenis (XLVIII, 19); l. 3 §. 10 de re milit. (XLIX, 16). Maximeque ille locus, quem statim primum posui, quo Ulpianus se scire ait, multos (e proconsulibus) et ad bestias damnasse sacrilegos, nonnullos etiam vivos exussisse, alios vero in furca suspendisse, etiam antiquiorum temporum memoriam repetere videtur. Nam quod J. Lipsius de cruce III, 7 Tribonianum ceterosque viros doctos, qui Justiniani

tempore antiquiores leges veterumque iurisconsultorum sententias collegerunt et in unum quasi corpus redegerunt, in his legum libris ubicunque crucis mentio fieret, pro ea ex sui temporis more furcam substituisse suspicatur, id coniectura potius quam certis argumentis niti videtur. Nec tamen infitior praeter Digestorum locos citatos ne mihi quidem nunc suppetere aliorum scriptorum veterum testimonia, quibus iam Plutarchi tempore vel Graecis vel Romanis furcae s. patibuli supplicium cognitum fuisse demonstrem. Quod quominus colligas ex einsmodi locis Plutarcheis, quales sunt Eum. 9 Alex. 55. 59 Cleom. 38 Demetr. 33, quibus omnibus legitur verbum *κρεμαννύναι*, illud impedit quod hoc ipsum verbum alibi (Caes. 2 Cleom. 39) commutatur cum verbo *ἀνασταυροῦν*, ut de crucis potius supplicio, ne Graecis quidem incognito (Herm. l. c. §. 72 adn. 27), intelligendum videatur. Quamquam et ipsa vocabula *σταυρός, ἀνασταυροῦν, ἀνασταύρωσις* tam lato patere, ut varia suppliciorum genera complectantur, maximeque apud Judaeos de furcae potius quam de crucis poena accipienda videri, contra Lipsium disputat Casaubon. exercit. in Baron. XVI. 77 (p. 537 sqq. ed. Genev. 1644) cl. 1. 7 p. 46 sq.

Cap. XXVII. §. 1. *τοῖς δὲ χρονικοῖς δοκεῖ μᾶλλον ὁ Θουκυδίδης συμφέρεσθαι, καίπερ οὐδ' αὐτοῖς ἀτρέμα συντασσομένοις.* Ad haec Sinten. (ed. Weidm.) adnotavit: *„Der Sinn muss, wie es scheint, dieser sein: die Angabe des Thucydides stimmt besser mit der Chronologie, obgleich auch diese nicht vollständig sicher ist. Indessen ist der Gebrauch von ἀτρέμα bedenklich und das Praesens συντασσομένοις auffallend."* Quum igitur in praesenti tempore verbi *συντασσομένοις* offenderit vir doctissimus, nescio equidem, cur spreverit h. l. auctoritatem codicis Fa, illud ipsum quod requirebat, *συντεταγμένοις* suppeditantis. Voculam *ἀτρέμα* autem fatendum sane est in Plutarchi quidem vitis quum persaepe legatur sensu vulgari, vix usquam sic positam reperiri, ut sit firmiter, accurate. Nam quod Wyttenbach. (in Ind. s. v.) huius significationis exemplum attulit ex eo loco qui est infra c. 29: *ἀτρέμα στενάξας εἶπεν*, id quidem alienum est, siquidem hoc quoque loco de voce submissa dici apparet. Sed recte Sinten. olim (in mai. ed. Them.) observavit, eam ipsam de qua quaerimus voculae vim propterea quod a propria eius significatione non abhorreat, non prorsus damnandam videri.

Cap. XXIX. §. 1. *Ἅμα δ' ἡμέρᾳ συγκαλέσας τοὺς φίλους εἰσήγαγεν αὐτὸν*

μηδὲν ἐλπίζοντα χρηστὸν ἐξ ὧν ἑώρα τοὺς ἐπὶ θύραις, ὡς ἐπύθοντο τοὔνομα παρόντος αὐτοῦ, χαλεπῶς διακειμένους. Sinten. probante Bekkero e Cod. Fa edidit *εἰσῆγεν*. Nec negaverim Imperfectum recte poni de re, quae quomodo acciderit, sequentibus demum verbis exponitur. Sed quum idem codex praeter *εἰσῆγεν* suppeditet etiam *οὐδέν* pro vulgato *μηδέν*, aut utrumque aut neutrum recipiendum fuisse existimo. Ceterum ad verba *ἐξ ὧν ἑώρα* Sinten. observat: *„eigentlich: nach dem, was er sah, nämlich dass — einer Coniunction* (ὅτι) *sinngleich;"* Scilicet ut *ἀνθ' ὧν* saepissime poni constat pro *ἀντὶ τούτων* (*τούτου*) *ὅτι*, similiter etiam *ἐξ ὧν* interdum pro *ἐκ τούτων ὅτι* dicitur, v. Krüg. gramm. gr. §. 51. 10, 4.

Ibid. §. 4. *Ὦ παῖδες, ἀπωλόμεθα ἄν, εἰ μὴ ἀπωλόμεθα.* Haec non uno modo intelligi possunt. Aut enim gavisus praesenti felicitate Themistocles ait, pereundum h. e. praesenti felicitate sibi suisque carendum fuisse, nisi iam periissent h. e. e patria eiecti essent. Aut contempta barbarica illa, qua nunc utebatur, luxuria hoc dicit, se suosque nunc luxuria servilique vitae cultu perituros fuisse, nisi iam olim periissent amissa patria. Posteriorem rationem, utpote Themistocle digniorem, post Bredovium aliosque etiam Sintenisius praetulisse videtur, quum scriberet (ed. Weidm.): *„schönes, den Themistocles ehrendes Oxymoron!"* Sed dissentit tamen Plutarchus ipse, qui quum idem Themistoclis dictum etiam tribus aliis locis commemoret (Apophth. p. 185 F. de fort. Alex. p. 385 F et de exil. p. 602 A), primo quidem loco similiter atque hoc nostro certe hoc unum significat, caussam dicti non in alia re positam fuisse nisi in divitiis honoribusque subito in ipsum congestis, at multo etiam clarius, quomodo verba intelligi velit, altero et tertio loco explanat. Nam secundo loco quum demonstrasset, eorum populorum, quos sibi subiecisset Alexander Magnus, multo maiorem felicitatem fuisse, quam illorum, qui eius imperium effugissent, iam inde colligit, quemadmodum Themistocles olim dixisset, pereundum sibi fuisse, nisi periisset, similiter etiam populos Alexandro subiectos dicere potuisse, se barbaros et incultos mansuros fuisse, nisi ab Alexandro subacti essent. Ex quo apparet, e Plutarchi quidem sententia Themistoclem quoque nihil aliud dicere voluisse nisi hoc, posteriorem felicitatem contingere sibi non potuisse nisi antea magnum malum perpesso, h. e. e patria eiecto. Tertio autem loco Plutarchus id ipsum agit, ut exilium non omnibus exitio

fuisse, sed quicunque temporibus servire et arborum instar in quavis terra radices agere didicerit, iis in qualibet civitate tamquam novam patriam existere demonstret. Atqui hanc ipsam artem praeter ceteros didicisse ait Demetrium Phalereum et Themistoclem. Nam illum quidem, quum patria pulsus esset, Alexandriae inter Ptolemaei regis amicos principem locum obtinnisse opibusque adeo abundavisse, ut etiam Atheniensibus dona mittere potuerit. Themistoclem autem a Persarum rege tam splendido regioque cultu ornatum sustentatumque esse, ut eam ipsam ob caussam uxori liberisque dixerit, pereundum sibi fuisse, nisi periissent. Ex quibus omnibus sponte intelligitur, Plutarchum si ducem sequamur, non posteriorem illam, sed priorem quam dixi rationem unice probari posse.

Cap. XXX. §. 2. *τῶν δὲ τὴν σκηνὴν κομιζόντων ὑπυζυγίων ἑνὸς εἰς ποταμὸν ἐμπεσόντος.* Ad haec Sintenisius quum olim (ed. mai. Them.) adnotasset: „*articulum τόν qui olim addebatur, nisi libri et scripti et editi usque ad Stephani temporo damnarent consensu, ego quidem facile ferrem, intelligendum de eo, qui ibi erat fluvio*“, nunc exspectaveris eum recepturum fuisse articulum, quem in cod. Fa addi cognovisset. Et recepit eum in ed. Teubn., sed rursus delevit in ed. Weidm. 1. et 2. Bekkerus autem Teubnerianum maxime exemplar sequutus, recte restituit.

Cap. XXXI. §. 1. *ὡς δ' ἦλθεν εἰς Σάρδεις καὶ σχολὴν ἄγων ἐθεάσατο τῶν ἱερῶν τὴν κατασκευὴν καὶ τῶν ἀναθημάτων τὸ πλῆθος, εἶδε καὶ ἐν Μητρὸς ἱερῷ τὴν καλουμένην ὑδροφόρον κόρην κ. τ. λ.* In his quae post *εἶδε* in cod. Par. 1671 (apud Sinten. litera A signato) a prima manu legebatur, sed postea erasa est vocula *δέ*, in eam coniectura inciderat Coraës ac proinde totum locum sic interpungi voluit, ut apodosis non a verbo *εἶδε*, sed infra demum a verbis *εἶτε δή* inciperet. Hanc igitur coniecturam quum praeeunte Schäfero, quem postea facti poenituit, Sintenisius quoque primum recepisset (ed. min. Them.), postea autem sprevisset (inde a mai. ed. Them. usque ad Vitt. ed. Teubn.), nuperrime rursus in ordinem recepit (ed. 2. Weidm.), ita quidem, ut simul exterminaret sequentem particulam *καί*, quod idem fecit etiam Bekkerus. Caussam autem, cur sibi displiceret vulgatum *εἶδε καί*, Sinten. (ed. mai. Them.) attulit hanc, quod *εἶτε* particula paullo insolentius sic posita videretur enunciationis initio. Sed hunc tamen scrupulum viro

egregio eximere potuit locus simillimus Nic. 13: *καὶ τοῦτο ἦν, ὡς ἔοικεν, ὃ παρῄνει τῇ πόλει τὸ δαιμόνιον, ἐν τῷ παρόντι τὴν ἡσυχίαν ἄγειν. Εἴτε δὴ ταῦτα δείσας εἴτ' ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ τὴν στρατείαν φοβηθεὶς ὁ ἀστρολόγος Μέτων—προσεποιεῖτο τὴν οἰκίαν ὑφάπτειν ὡς μεμηνώς.* Itaque in his quidem verbis retinendum censeo vulgatum *εἶδε καί*; sed quod paullo ante ex eiusdem Coraïs coniectura, nunc etiam cod. Fa. auctoritate firmata, et Sinten. et Bekk. pro vulgato *ἐθεάσατο* ediderunt *ἐθεᾶτο*, rectissime habet, siquidem Imperfecti haec vis est: dum cetera spectabat, conspexit etiam cet.

Ibid. §. 3. *ὡς δ' Αἴγυπτός τε ἀφισταμένη βοηθούντων Ἀθηναίων καὶ τριήρεις Ἑλληνικαὶ μέχρι Κύπρου καὶ Κιλικίας ἀναπλέουσαι καὶ Κίμων θαλαττοκρατῶν ἐπέστρεψεν αὐτὸν ἀντεπιχειρεῖν τοῖς Ἕλλησι κ. τ. λ.* Mirum est, quod pro *ἐπέστρεψεν* Reiskius e Juntina ediderat *ἐπέτρεψεν*, nunc confirmari codd. A C Fa auctoritate, teste ipso Sinten. ed. mai. Vitt. IV. p. XXV. Nisi forte ibi per errorem scriptum est *ἐπέτρεψεν* pro *ἐπέστρεψεν*, ut significare editor voluerit, in libris illis non *ἐπέστρεψαν* legi, quod Coraës correxerat, sed *ἐπέστρεψεν* singulari numero. Ceterum assentior viro doctissimo, quam Reiskius verbo *ἐπιτρέπειν* tribuit adhortandi s. impellendi vim, eam Plutarchi usu non comprobari, sed et huic loco et alteri illi, quem et ipsum Reiskius corrigi voluit, Pomp. 25 unice convenire vulgatum *ἐπιστρέφειν*.

Cap. XXXII. §. 1. *Ἀπέλιπε δὲ Θεμιστοκλῆς παῖδας ἐκ μὲν Ἀρχίππης κ. τ. λ.* In his primum vel e verbo *ἀπέλιπε* apparet, Plutarchum tantummodo liberos patri superstites recensere voluisse, ut quae infra sequuntur verba *τῶν δὲ πρεσβυτάτων — υἱὸν ἐποιήσατο*, quibus commemorantur filii iam ante patris obitum vel mortui vel adoptionis iure in aliam gentem recepti, praeter institutum nec nisi obiter adiecta esse existimanda sint. Deinde vero quod Plutarchus dixit *ἐκ μὲν Ἀρχίππης*, id eum ita dixisse manifestum est, quasi perrecturus esset *ἐκ δὲ τῆς ἐπιγαμηθείσης*. Sed quaeritur de reliqua oppositionis ratione. Et vulgo quidem *παῖδας* propter oppositum *θυγατέρας δέ* interpretantur filios ideoque sic statuere videntur, ut Plutarchum primum filios ex iisque primum eos, qui ex Archippa, tum eos qui *ἐκ τῆς ἐπιγαμηθείσης* nati essent, deinde vero filias ex utraque muliere susceptas enumerare voluisse, sed nescio quo pacto ab instituta via declinavisse existiment. Sed

obstat huic rationi, primum qnod Plutarchus, si filios et filias inter se opposuisset, particulam *μέν* statim post *παῖδας* ponere debebat, deinde quod post commemoratos filios ne potuit quidem pergere *ἐκ μὲν Ἀρχίππης*, nisi Themistocles etiam ex altera uxore filios suscepisset, quos tamen nullos suscepisse videtur. Nam quos Plutarchus memorat tres patri superstites, eos ex Archippa natos fuisse diserte testatur; qui autem praeterea adduntur, Neocles et Diocles, quin et ipsi ex eadem matre nati fuerint, tanto minus dubitari potest, quod et natu maximi fuerunt et Nicoclem Lysander avus, Archippae pater, adoptavisse dicitur. Itaque si Plutarchus *παῖδας* intellexisset filios, non *παῖδας ἐκ μὲν Ἀρχίππης*, sed *παῖδας μὲν ἐξ Ἀρχίππης* scribere debuit, quod si qui libri scripti suppeditarent, ipse quoque lubenter amplecterer. Sed uti nunc verba scripta sunt (nam de traiectione particulae cogitare non ausim), *παῖδας* non filios, sed liberos, quippe quos Themistocles ex utraque uxore susceperit, significare puto, ut Plutarchus primum liberos ex Archippa susceptos, sive filios sive filias, deinde ex altera uxore natos recensere voluerit, sed enumeratis Archippae filiis, quum iam ad eiusdem filias transire deberet, instituti ordinis immemor, promiscue posuerit filias ex utraqne uxore natas, ideoque ita perrexerit, quasi ab initio primum filios, deinde filias ex utraque uxore susceptas recensere instituisset. Ceterum etiam ex filiabus unam Mnesiptolemam diserte testatur *ἐκ τῆς ἐπιγαμηθείσης* natam fuisse, ac ne huius quidem natales de industria, sed tamquam aliud agens commemorat, scilicet nt rationem reddat, cur illa Archeptoli fratri nubere potuerit.

Praeterea quaeritur etiam de vocabulo *ἐπιγαμηθεῖσα*, quo Sintenisius (ed. mai. Them.) secundam uxorem significari censet, comparato Diodor. XI, 57: *γυναῖκα γὰρ αὐτῷ πρὸς γάμου κοινωνίαν ἔζευξε* (*βασιλεὺς*) *Περσίδα, εὐγενείᾳ τε καὶ κάλλει διαφέρουσαν, ἔτι δὲ κατ' ἀρετὴν ἐπαινουμένην*, nisi quis maluerit utrumqne locum de altera, quam praeter *τὴν γνησίαν* duxerit uxorem, interpretari. Et prior quidem ratio quamvis ipsius Plutarchi dicendi usu comprobetur, quippe qui etiam Cat. 27 dixerit: *ὁ Κάτων ἀπέλιπε γενεὰν ἕνα μὲν υἱὸν ἐκ τῆς ἐπιγαμηθείσης*, h. e. ex secunda uxore sive ex ea, quam adulto filio indnxerat novercam (cf. Cat. 24 et comp. Arist. et Cat. 6), tamen cum ipsis rebus, quales a Plutarcho exponuntur, vix conciliari videtur posse. Is enim Archippam non solum apud Admetum versanti marito ab amicis una

cum liberis submissam esse narravit supra c. 24, auctore Stesimbroto (cui tamen scriptori se parum fidei habere significat), verum etiam, de quo dubitabat **Sintenisius**, usque in Asiam eundem secutam novaeque eius felicitatis participem factam esse tradit ipse de exil. p. 602 A, quo loco Themistocles celebratissimum illud *ἀπωλόμεθα ἂν εἰ μὴ ἀπωλόμεθα*, non solum liberis, sed etiam **uxori** dixisse fertur, quam uxorem ne quis secundam illam a rege datam intelligi putet, ipsa vetat sententiae ratio. Hoc igitur loco si vera Plutarchus retulit, exinde Themistoclem, si quam novam uxorem duxerit, certe extrema demum vitae parte ducere potuisse ideoque etiam liberos, si quos ex illa susceperit, omnium natu minimos fuisse consequitur. Atqui Mnesiptolema, quam unam Plutarchus *ἐκ τῆς ἐπιγαμηθείσης* natam commemorat, non natu minima (hanc enim Asiam fuisse Plutarchus testatur), sed aut omnium filiarum natu maxima aut una de maioribus fuit. Nam et primo statim loco collocatur, et Archeptoli fratri, qui ipse quoque primus erat inter filios patri superstites, nupsisse dicitur, et vero etiam pariter atque Italia et Sybaris superstite adhuc patre nupsisse videtur, quandoquidem quae quarto demum loco posita est Nicomache post patris obitum a fratribus Phrasicli nuptum data esse narratur. Atque eadem fortasse caussa fuit, cur Mater deorum Mnesiptolemam potissimum sacerdotem sibi fieri posceret (c. 30.) Quae quum ita sint, e Plutarchi quidem sententia *τὴν ἐπιγαμηθεῖσαν* non secundam uxorem, quam Themistocles mortua demum Archippa in Asia duxerit, sed pellicem aliquam praeter Archippam satis maturo tempore (post natos filios aetate maximos) assumptam intelligi posse apparet. Nec tamen dissimulo, mihi ipsi hac in re Plutarchi fidem quodammodo suspectam videri, tum propter disertum testimonium Diodori, qui etiamsi et ipse pellicem intellexisse putetur, tamen de tempore cum Plutarcho dissentit, tum maxime propterea quod quae de exil. l. c. de uxore Themistoclis traduntur, eo infirmari quodammodo videntur, quod Plutarchus quum quatuor omnino locis dictum illud commemoraverit, uno tantum loco eoque tali, quo non historicum, sed philosophum ageret, uxoris mentionem iniecit. Quamobrem satius duco, rem per se paullo obscuriorem nunc quidem in medio relinquere.

Haec omnia quum iam typis exscripta essent, ad me allatum est Plutarchi

Teubneriani a Sintenisio iterum recogniti volumen I his ipsis diebus evulgatum. Quod omnibus de quibus supra dixi locis cum priori ed. Teubn. comparatum duobus tantum locis ab illa discrepare vidi: c. II §. 1, ubi nunc similiter atque in ed. Weidm. deletum *οὐχ* ante *ὑπερορῶν*, et c. XXXI §. I, ubi nunc pro *εἶδε καί* ad exemplum ed. Weidm. 2 editum *εἶδε δέ*. Praeterea c. XXVII §. 1 quamquam etiamnunc servatum est *συνταττομένοις*, tamen ipsi Sintenisio probari *συντεταγμένοις* (pro quo tamen in codice nunc ait esse *συντεταγμένος*) apparet e Praef. p. XV. Quae omnia non sunt eiusmodi, ut in iis quae supra disputavi quidquam mutandum esse videatur.

LIPSIAE, TYPIS A. EDELMANNI, TYPOGR. UNIVERSIT.